



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 4. Tractatus pacis Matthiæ Hungariæ Regis cum Mahomete

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

ligenter inquisitus comprehenditur, at-
 que ad Mahometem defertur, qui juve-
 nem medium difsecari jussit, quod ipse sup-
 plicium mira constantia perpeffus est.
 Senatus Venetus ob tam egregium faci-
 nus hujus Juvenis Patri censum annuum,
 ejus autem Sorori dotem ex publico
 ærario constituit.

§. IV.

*Tractatus pacis Matthiæ Hungariæ
 Regis cum Mahomete.*

Interim Venetis Turcas bello prementibus nuntiatum est Sixto Pontifici, quod Matthias Hungariæ Rex a Mahomete vehementer sollicitatus fuisset, ut cum eo pacem iniret, totisque viribus sua arma contra Persarum Regem verteret, quin imo quod Matthias suos jamjam Oratores, qui de fœderis legibus paciscerentur, Constantinopolim decrevissent, ac inter cetera a Mahomete postulasset, ut ei Bosniam & Serviam, aut saltem harum Provinciarum alterutram restitueret; vicissim vero Rex Sultano auxilia adversus Usumcassanum Persarum Regem obtulisse dicebatur, dummodo is ad hoc bellum necessariis pecuniarum subsidiis præsto eidem esset. Papa accepto hoc nuntio nulla mora ad Matthiam literas dedit, ut illum a tam exitioso dehortaretur

Sæcul. XV.

A.C. 1473.

*Papiens.**epist. 516. & 517.*

tur proposito, simulque Ludovicum (*) Episcopum Ferrariensem, qui in Hungaria Sedis Apostolicæ Legatum agebat, admonuit, ut solerter inquireret, an fœderis hujus rumor verus esset, vel potius commentum foret ad extorquendas a Pontifice pecunias ab Hungaris excogitatum: id etiam vero longe similis est; cum ejusmodi pacem sancitam fuisse, nullius Historici testimonium comprobet, nisi forte dicatur, Mahometem post devictum Regem Persarum parum de Matthia Hungariæ Rege sollicitum fuisse.

§. V.

Jacobus Regni Cypri usurpator mortuus.

Coriolan. l. 2. & 3.

Hoc anno Jacobus Regni Cypri usurpator extremum diem clausit. Fuit is Frater spurius Carlottæ seu Carolinæ, quæ legitima Cypri Regina Ludovico Sabaudia Ducis desponsata erat; Ambos tamen Jacobus regnandi cupiditate accensus, & Sultani Ægypti auxiliis adjutus, Regno expellere studuit, ejecitque. Carlotta fugere compulsâ dudum apud Rhodios recuperandi regni sui spem incassum

(*) Legendum est cum Pagio Laurentium, ut constat ex variis diplomatibus ad hunc missis.